

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Tractatus Philosophico-Theologicus**

**Posewitz, Johann Heinrich**

**Quedlinburgi, 1660**

Caput VI.

[urn:nbn:de:bsz:31-128962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-128962)

## DE BONO ET MALO.

38

objectum ibi melius est, & ipsam dilectionem esse meliorem, sicut *Gregorius* c. 1. colligere vult, quia bonitas actus dilectionis non sumitur hic ab objecto amico vel inimico sed à *fine* nempe Deo, nam proximus in quantum proximus, non est ratio terminandi *Secus* 3. dist. 28. qu. 1. sed totalis ratio amandi Deus est. *Beatus Theolog. Schol. part. 2. tract. 1. cap. 4. qu. 3. n. 10.* Ad *Object.* dico, quod dilectio amici & dilectio inimici non sint bona disparata, nam dilectio inimici includit dilectionem amici. Et hæc responsio *Durandi* quoque est. c. 1.

REGULA II.

*Quod (bonum) est (ex se) diuturnius (cæteris paribus) est nobilius, minus diuturno.*

REGULA III.

*Bonum conservat (si non positivè, saltem negativè) id cuius est bonum.*

REGULA IV.

*Absurdum est, ut alienum vitium interimat aliquid, cui proprium vitium non præbet interitum.*

REGULA V.

*Natura (non impedita) semper facit id quod est optimum (non simpliciter sed in illa specie que fit.)*

REGULA VI.

*Natura semper intendit (intentione primâ) id quod est optimum (in unaquaque re.)*

## CAPUT VI.

### DE ABSTRACTO ET CONCRETO.

REG. I.

*Si abstractum predicatur de abstracto etiam concretum predicatur de concreto.*

REGULA II.

*Si concretum predicatur (in quid, vel in quale, ita ut abstracta sola ratione distinguantur) de concreto, etiam abstractum predicatur de abstracto.*

62

OBJE.

**R**ecte dico: *DEus est Homo, & Homo est DEus.* Non autem *Deitas est Humanitas, & Humanitas est Deitas.* Resp. Deitas & Humanitas non sunt abstracta vocum *DEus* & *Homo* in allatis propositionibus, quia concreta illa substantiva non supponunt pro naturis sed persona. Et sensus harum propositionum est. *DEus* (h. e. persona DEI) est homo (h. e. persona hominis & cōtra.)

## REGULA III.

*Cui inest abstractum* (quod non prædicatur in quid, & eo modo quem importat concretum, & si recipiat magis & minus, in tantum ultra dimidium, vel ad minimum, nisi certam aliquam partem denominet, extra sum secundum maximam partem) *de eo* (quandiu inest) *prædicatur* (simpliciter) *concretum* (respondens in essentia abstracti, si quod habet.)

## REGULA IV.

*Ab inesse* (immediate) *ad prædicari* V. C.

## OBJECTIO.

**Æ**ternitas, Simplicitas, & Infinitas, sunt in humana natura, siquidem teste Scriptura S. in illa *Tota Divinitas plenitudo habitat Col. 2.* non tamen hæc attributa de humana natura possunt prædicari, quia non possumus dicere, Humana natura est simplex, æterna, & infinita. Resp. Attributa hæc humanæ naturæ non competunt immediate, sed mediate, quædam autem tantum denominant ea quibus immediate insunt, quoniam nim. repugnat ea de his prædicari, sicut simplicitas & spiritualitas animæ rationalis insunt homini nec de eo prædicari possunt.

## REGULA V.

*De quo prædicatur concretum* (intrinsecè,) *et inest* (vel formaliter vel virtualiter) *abstractum.*

## REGULA VI.

*Abstractum est forma* (h. e. ratio, per quam aliquid tale est) *concreti.*

## REGULA VII.

*Abstractum est prius* (vel re ut candor candido, vel ratione, ut Deitas Deo) *concreto.*

OBJE-

## OBJECTIO.

**M** *Irindulanus Lib. de Ent. & Uno cap. 3. Et Scaliger Exerc. 365. sect. 6.* asserunt omne abstractum realiter differre à concreto, eoque re semper prius esse, unde etiã negant DEUM rectè dici *Ens*, sumtã hãc voce pro concreto. *Resp.* Humani aliquid hìc passus est. *Scaliger*, nam falsum est omne abstractum realiter differre à concreto, ut patet exemplo divisibilitatis, quæ est abstractum est & forma per quam quantitas est divisibilis, divisibilitas verò non differt re à divisibili, sed solã ratione.

## CAPUT VII.

## DE SIMPLICI ET COMPOSITO, TOTO ET PARTIBUS.

## REGULA I.

*Simplex est prius (naturã, suo) composito.*

## REGULA II.

*Pars (secundum esse absolutum) est prior (ordine naturæ generantis, & cognitione distinctã, suo) toto (actuali, cujus resp. pars dicitur)*

## REGULA III.

*Totum (eo modo, quo est totum) est majus (suis) partibus (seorsim sumtis.)*

## OBJECTIO.

**T** Oh. 6. v. 13. legitur, quod ex quinque panibus, quibus unã cum duobus piscibus Christus 5000. fermè viros cibavit, superfuerint duodecim cophini fragmentorum, ubi fragmenta partes fuerunt quinque panum, at longè majora toto nempe quinque panibus. *Resp:* Quinque panes *dupliciter* considerari possunt. 1. *In se*, & quales erant per naturam ante benedictionem. 2. Ut erant post benedictionem. Fragmenta fuerunt majora quinque panibus priori modo consideratis, at eo modo non fuerunt Totum. Posteriori autem modo consideratis, quinque panibus, quo modo Totum sunt, Fragmenta majora illis non fuerunt.